

OPUSCULUM X.

DE NATURA MATERIE, ET DIMENSIONIBUS INTERMINATIS

(Err. Rox. XXXII)

DE AUTHENTIA HUIUS OPUSCULI

Opusculum de natura materie et dimensionibus interminatis inter genuina Aquinatis Opera procul dubio adnumerandum est. Complures enim vetusti Nomenclatores operum Doctoris Angelici in suis catalogis illud diversis notatum numeris recensent, et S. Thomae adjudicant.

Etenim Ptolomaeus Lucensis in suo elencho ei tribuit numerum quadragessimum quintum (45). Fuit autem Ptolomaeus discipulus, idemque postmodum confessarius S. Doctoris, quocum utebatur familiariter, vel familiari ministerio conversabatur ut ipsa testis est (Hist. Eccl. Lib. 23, Cap. 8. edita a Muratori tom. XI Rerum Italicarum Scrip.)

Est septimum (7) in catalogo Henrici de Hervordia in suo *Chronicon* edito Gottingae a Potthast an. 1850. Henricus opusculum in duo divisit, quorum alterum de materia prima; alterum de dimensionibus inscripsit. Floruit ad finem saeculi decimi tertii, et testatur se novisse Angelicum Doctorem.

Est trigessimum tertium (33) in catalogo Bernardi Guidonis excerpto ex Cod.

Vaticano (3847), in quo invenitur vita S. Doctoris ab eodem Auctore descripta,

estque illud idem exemplar quod Bernardus ad Petrum Rogerium, qui postea fuit Pontifex M. sub nomine Clementis VI. misit. Bernardus Guidonis ex familia S. Dominici creatus fuit Episcopus an. 1324, et decessit an. 1331.

Est sexagesimum nonum (69) in catalogo desumpto ex *brevi Historia* Conv. Parisiensis Fr. Praed. cujus auctor fuit Fr. Ludovicus de Vallisoleto qui floruit initio saeculi decimi quarti.

Ceterum viri eruditi et criticae artis apprime consulti, inter quos honoris causa nominandus P. Ecliard laudatum opusculum esse germanum S. Thomae opus absque ulla dubitatione docent, illosque refellunt auctores qui ab Angelico Doctore perperam admodum et frustra illud velent adjudicare.

Demum magnum auctoritatis pondus et argumentum huius rei accedit, si nobilissimae quaestiones spectentur, quae luculenter in hoc opusculo disputantur et constanter doctrinis ab Aquinato alibi propugnatis uberius solvantur.

Individuatio enim diversa substantiarum compositarum et simplicium scilicet explicatur, et discretè traditur juxta dogmata a S. Thoma propugnata in utraque Summa et in aliis operibus. Idem clarissime S. Doctor tradit, et elegantem doctrinam ab eo passim propositam et explicatam, eo in loco perballe versat, et perspicue declarat.

CAPUT I.

Quod materia prima non potest nisi per creationem in esse produci, et quod ipsa est primum subjectum in generatione physica.

Postquam de principis sermo habitus est, remansit plenius naturam materiae considerare. Sciendum est ergo quod ad materiam causalitas creaturae non se extendit, quia actio

creaturae super aliud fundatur. Materia autem non habet subjectum aliquid de quo per actionem educi possit, quia materiae non est materia. Unde materia non est generabilis nec corruptibilis: quia omne quod generatur, ex materia generatur: et quod corrumpitur, in materiam corrumpitur; quia materia est principium primum ex quo aliquid fit, et ultimum in quod abit quod corrumpitur, secundum Philosophum in 1 Phys. Unde ipsa non nisi ex nihilo producit, et non nisi in nihilum desinere potest. Sicut autem ex nihilo creatura non potest aliud producere, ita ex subtractione virtutis creatae corrumpitur aliquid in nihilum. Creatura ergo materiam causare non potest. Et quia omne agens physicum mediante instrumento corporeo agit; actio autem quae per motum exercetur, motus est; ideo omnis actio agentis physici in motu est. Motus autem in mobili est ut in subjecto, sicut dicitur 3 Phys. Materia autem mobilis non est, quia in omni eo quod movetur, necesse est materiam imaginari, ut dicitur 2 Metaphysic. Omne enim mobile habet partem et partem, materia autem non habet partem nisi sub quantitate. Subjectum ergo actionis physicae erit mobile inquantum actu existens. Unumquodque vero mobile movetur motu proprio per qualitatem sibi inhaerentem, quae est sibi principium passivum sui motus, cujusmodi sunt gravitas et levitas in motu locali: his enim qualitibus inest virtus generantis ad motum localem in istis inferioribus: inde est quod quandoque hae qualitates dicuntur principia activa motus, inquantum sunt instrumenta generantis, quod est movens principale gravium et levium: quandoque vero passiva, inquantum sunt effectus generantis: effectus enim rationem passivi habet, quia per passionem subjecti efficitur, de quo educitur. Quaedam enim agentia non solum proprios effectus causant; sed etiam simul sua instrumenta: ut generans ignem non solum causat motum ejus, sed ad motum ejus facit leve in igne: unde leve quandoque activum, quandoque passivum principium motus dicitur. Hae autem qualitates mobilium non possunt esse qualitates primae, quia solum ordinantur ad ea quae sunt extranea rei, ad motum scilicet localem, per quem non acquiritur rei aliqua forma substantialis. Et ideo necesse est aliquas qualitates praecedere in re, quae sunt instrumenta generantis in acquisitione formae substantialis. Hanc enim necesse est praecedere omnem motum localem ipsius, quia motus localis requirit quantitatem in mobili, et partem et partem. Forma autem substantialis omnem quantitatem praecedit; actio autem generantis in productione formae substantialis est alteratio, cuius terminus est spoliatio materiae a forma prioris et inductio novae formae; et sic corruptio unius est generatio alterius. Quoniam ergo alteratio est actio physica, actio autem physica

per instrumentum corporeum perficitur, ut dictum est, et omnis talis actio per motum exercetur; ideo alteratio cujus terminus est generatio, requirit subjectum actu existens, ut mobile grave vel leve; alteratio autem motus est, ut dicitur 5 Phys. Quia ergo in termino cujuslibet motus quedam quies invenitur secundum naturam ipsius motus, ut in motu locali est quies secundum locum terminans ipsum motum; in motu autem dealbationis, quies est ipsa albedo terminans ipsam dealbationem; ideo in fine dealbationis quies est inductio formae substantialis. Alteratio ergo per quam spoliatur materia priori forma, in se requirit subjectum actu existens, quia ipsa motus est, ut dictum est: in suo autem termino non requirit subjectum actu existens. Terminus autem ejus est generatio. Unde generatio non requirit subjectum nisi in potentia tantum. Hoc autem solum manet in generatione, quia subjectum necessario manet cum eo cujus est subjectum. Quoniam ergo generatio non est motus, sed mutatio, ut dicitur 5 Phys. cum generatio sit terminus actionis physicae, scilicet alterationis, quae propter naturam motus requirit semper subjectum actu existens; materia quae est subjectum generationis, nunquam est sine forma: ideo agens in cujus actione non oportet praecedere aliquem terminum actionis, potest ex materia aliquid educere sine alteratione aliqua, sive ex nihilo, sive aliquo motu praesupposito. Actio namque sua cum non sit motus, neque terminus motus; ens in potentia tantum transmutare potest subito sine ulla alteratione praecedente: quia tempus non requiritur, quod mensuret actionem rei naturalis, nisi propter motum adjunctum: unde non foret necessarium materiam uniri formae per actionem divinam, cui subiceretur forma unita, sed per actionem physicam, quae non attingit ens in potentia tantum, sed in suo termino ubi cessat motus. Ex termino ergo actionis physicae sumi potest via ad naturam materiae inquirendam, sicut facit Philosophus in 1 Phys.

CAPUT II.

Qualiter per mutationem formarum devenitur in cognitionem materiae: et secundum quam rationem materia est principium individuationis.

Considerandum est ergo, quod terminus actionis physicae est duplex: scilicet primus et secundus. Primus est generatio, quae est terminus alterationis physicae. Secundus vero est forma, quae est finis generationis; licet non semper vi generationis inducatur forma, quae est finis generationis: sicut patet de anima

humana quae non introducitur per agens physicum: unde primus terminus actionis physicae in generatione humana est dispositio sufficiens ad introductionem animae, quae a Philosopho dicitur generatio in 2 Phys; quia homo generat hominem et sol. Proprie vero generatio est quando forma ex natura generantis generato adjungitur quod fit quando principium actionis non excedit modum agendi in nulla sua virtute, sicut patet de formis materiae immersis: tales enim formae non secundum aliquid sui sunt principium agendi, quasi aliquid sui sit non immersum materiae, aliquid vero immersum; sed omnino sunt principium actionis rerum quarum sunt formae: ideo ex vi actionis fit aliquid simile in specio in genere talium rerum. Sed anima hominis excedit modum actionis suae et generationis, quia anima hominis non est forma materiae penitus immersa: generativa enim potentia hominis non est tota virtus animae humanae, sed una pars ejus, quae condiciones materiae non excedit. Et ideo in generatione hominis non attingitur ad idem specie ex vi generationis sicut in aliis: quantumcumque enim materia secundum naturam disponatur ad animam humanam. Deus tamen posset eam non creare. Ex generatione ergo quae est primus terminus actionis physicae, accipi potest quae sit natura materiae. Cum enim non requiratur aliquid subjectum actu in actione physica nisi propter motum, sicut de alteratione dictum est, et subjectum necesse sit manere in toto motu; sequitur necessario, quod quamvis est aliquid de natura alterationis et motus, subjectum esset in actu. Cum vero motus alterationis deficit, deficit subjecti actualitas. Haec autem est in ejus termino qui est generatio. Unde in generatione necessario tota actualitas subjecti alterati peribit. Solum ergo ens in potentia manet in generatione. Ens autem in potentia est materia solum. Et ideo materia nuda est subjectum generationis. Cum ergo materia impediatur cognitionem, et unumquodque non cognoscatur nisi secundum quod est actu, ut dicitur 9 Metaph.; ideo materia non est scibilis nisi in ordine ad formam, ut dicit Philosophus 1 Phys: ideo formam per prius oportet cognoscere et per eam requirere naturam materiae: forma enim est terminus actionis physicae, ut dictum est. Sciendum est ergo quod in termino cujuslibet motus nihil est in isto quod per motum derelinquitur, sicut in termino motus localis nihil est de loco a quo incipit motus localis: et in termino dealbationis nihil est de nigro, a quo incipit dealbatio. Cum ergo alteratio ab actu formae substantialis incipiat, et ipsum compositum alteretur alteratione materiae ad denudandam ipsam ab omni actu quem prius habebat, ut dictum est; in termino ejus necessario denudabitur ab actu primo quem habebat: primum enim in constitutione est ulti-

num in resolutione. Hoc autem est actus formae substantialis. Quod ergo manet derelictum a forma substantiali, hoc est materia; quia per actionem creaturae non devenimus in nihil, ut dictum est. Sic ergo per formam cognoscibilis est materia.

CAPUT III.

Quod tria sunt genera formarum.

Sciendum autem quod tria sunt genera formarum. Quaedam enim est forma, quae est ipsum suum esse, et non recipitur ab aliquo priori, nec communicatur alicui posteriori; et talis forma est Deus. Et ideo ipse solus est infinitus absolute. Aliae vero sunt formae, quae licet non sint receptae in materia, tamen non sunt ipsum suum esse, cum in eis cadat compositio essentiae et esse; et ideo ex una parte sunt finitae, et ex alia infinitae: finiuntur enim secundum suum esse sursum terminatum ab alio, sed non deorsum, cum non recipiantur in aliquo inferiori. Et haec est doctrina Commentatoris in lib. de Causis. Aliae autem sunt formae, quae undique sunt finitae, quae et esse aliunde habent, quod est commune omni creaturae: nihilominus recipiuntur in aliqua materia. Inter quas tamen est magna differentia: quia quanto minus in materia immerguntur, tanto minus finiuntur; et ideo anima humana quodammodo est omnia, ut dicitur 8 de Anima. Eo enim quod non immergitur materiae sicut aliae formae, remanet in ea quaedam infinitas. Unde intellectus ad plura se extendit, sensus vero ad pauciora; nec propter hanc majorem ejus extensionem spargitur ad multa; sed magis unitus remanet in acceptione plurium intelligibilium, quam sensus in paucis sensibilibus; et hoc est propter unitatem majorem medi per quod ipsa cognoscit, quod est magis unum quam medium quo perficitur sensus cognitio. Ex his ergo constat et manifestum est, quod formae in se acceptae unitae sunt et non dispersae. Cum vero in materia recipiuntur, et ei immerguntur, patiuntur divisionem in sua natura. Et ideo, cum species formam sequatur; in formis separatis a materia non est differentia suppositorum vel multitudo in eadem specie seu ratione formali: sed quodlibet suppositum unite colligit in se totam suam speciem; in formis vero in materia receptis, una species reperitur in multis suppositis. Sed hoc non est a natura materiae qualitercumque acceptae: cum materia sit de natura specierum in rebus materialibus: sed hoc est per receptionem formae in materia secundum quod est subjectum primum. Cum enim subjectum in aliqua specie, seu aliqua pars subjectiva sit prima substantia, quae individuum di-

citur; illud quod tenet rationem primi subjecti est causa individuationis et divisionis speciei in suppositis. Primum autem subjectum est quod in alio recipi non potest. Et ideo formae separatae, eo ipso quod in alio recipi non possunt, habent rationem primi subjecti. Et ideo seipsis individuuantur. Et cum in ipsis non sit nisi forma, est in eis forma, secundum rationem formae. Et ideo enim in eis sit idem suppositum et forma, ex quo seipsis individuuantur, inquantum habent rationem primi subjecti; ad multiplicationem suppositorum, multiplicatur in eis forma secundum rationem formae secundum se, et non per aliud, quia non recipiuntur in alio. Omnis autem talis multiplicatio multiplicat speciem; et ideo in eis tot sunt species quot sunt individua. In aliis vero formis ubi est multitudo formae per receptionem in alio quod habet rationem primi subjecti, et non secundum rationem formae, manet eadem species in diversis suppositis. Hoc autem recipiens est materia, non qualitercumque accepta, ut dictum est, cum ipsa sit de intellectu philosophicae speciei: sed secundum quod habet rationem primi subjecti, et signatio ejus est esse sub certis dimensionibus, quae faciunt esse hic et nunc ad sensum demonstrabile. Ad hanc igitur divisionem formae non requiritur in materia dimensio aliqua interminata: materia enim est principium individuationis, ut est primum subjectum, ut dictum est, et solum sic: quamdiu enim manet aliquid ulterius receptibile, non invenitur ultimum quod in nullo natum est recipi; si autem sint dimensiones interminatae, necessario erunt in materia ut in subjecto. Materia autem cum tribus dimensionibus non est primum subjectum, sed secundum se et in natura sua: per quem modum non perinet ad naturam speciei, sed prout est in acceptione intellectus, cujus est determinationem seu intensionem speciei percipere. Cum ergo forma recipitur in materia, circumscribitur omnibus per intellectum dimensionibus, fit aliquid existens in genere substantiae et ultimum, completam habens rationem individui in substantia. Sed non fit hic et nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis et certis, quas habere necesse est, eo quod forma recipitur in materia: cum impossibile sit eam recipi in materia, quin constituatur corpus substantia; sub cuius propria figura sunt dimensiones ipsae. Et ideo dicitur quia materia sub certis dimensionibus est causa individuationis: non quod dimensiones causent individuum, cum accidens non causet suum subjectum; sed quia per dimensiones certas demonstratur individuum hic et nunc, sicut per signum proprium individui et inseparabile.

In quo ponitur opinio Commentatoris de dimensionibus
 interminatis et reprobatur.

Ex dictis ergo patet, quod Averrois erravit in libro de
 substantia Orbis ponendo dimensiones interminatas praesse in
 materia, et hoc necessario ad productionem formarum substan-
 tialium: cujus ratio potissima est de divisione, quia diversa
 formae non possunt recipi in eadem parte materiae, nec mate-
 ria habet partem et partem nisi per quantitatem, nec potest
 quantitas terminata intelligi, nisi praecesserit forma substantia-
 lis: ideo dicit Philosophum posuisse dimensiones interminatas
 necessarias ad constitutionem rerum naturalium, et has praexi-
 stere in essentia materiae, quae in adventu formae substantia-
 lis terminantur. Essentiam vero materiae dicit spoliari non
 posse his dimensionibus, aliter non fieret de corpore corpus et
 de dimensionibus dimensiones, quod ipse pro inconvenienti
 habet. Si vero est aliqua forma quae non dividitur per mate-
 riae receptionem, sicut forma caeli: non est necesse ponere
 tales dimensiones. Et ideo dicit Avicennam errasse quia non
 posuit tales dimensiones, sed voluit primum quod inest mate-
 riae, esse formam substantialem; et ideo multa inconvenientia
 sequuntur ex dictis Avicennae secundum Commentatorem:
 quia sic non divideretur forma per materiam, nec reciperetur
 in materia nisi forma una tantum, et illa duraret in ea per-
 petuo. Haec est opinio Averrois de dimensionibus intermi-
 natis: contra quem rationes ponere necesse est, ut verus mo-
 dus generationis rerum inveniat: posterius vero, quomodo
 impossibile et inconvenientis est ponere dimensiones intermi-
 natas ostendere: sic enim credimus intentionem nostram posse
 impleri. Arguitur itaque sic. Praedictae dimensiones quae
 essentialiter quantitates sunt, etsi non actu ad genus quanti-
 tatis pertineant, aut sunt eductae de potentia materiae ei sub-
 jectae, aut non. Si sunt eductae de potentia materiae: ergo
 prius ibi non erant in materia nisi in potentia materiae per
 modum aliquorum quae de potentia materiae educuntur. Spo-
 liari ergo potest materia talibus dimensionibus; cujus contra-
 rium ipse dicit. Et iterum, quod educitur de potentia ma-
 teriae, educitur per transmutationem materiae. Non autem est
 transmutatio in materia nisi transeundo de potentia materiae in
 actum formae substantialis. Oportet igitur tales dimensiones
 sequi inductionem alicujus formae substantialis in materia.
 Sed omnes dimensiones quae sequuntur formam, sunt termi-
 natae, secundum eandem. Igitur non erunt dimensiones inter-

minatae eductae de potentia materiae. Si vero non sunt edu-
 ctae de potentia materiae, non erunt tantum duo principia
 in constitutione rerum naturalium, materia scilicet et forma; sed
 etiam tertium, scilicet dimensiones praedictae. Omne enim
 quod manet, et non fit ex aliquo, necesse est esse principium,
 ut dicitur 1 Phys. Et iterum accidentia habent aliqua alia
 principia a principis substantiae, scilicet dimensiones praedi-
 ctas, quod ipse Commentator habet pro se, dicens dimensiones
 terminatae fieri ex interminatis. Praeterea, illae dimensiones
 interminatae aut distinguunt partes materiae ab invicem, aut
 non. Si distinguunt, cum omnis distinctio sit ab aliquo actu,
 materia haberet distinctas partes actu, et non ab aliqua forma
 substantiali; quod est impossibile, cum materia non habeat
 esse nisi a forma substantiali. Si vero non distinguunt nisi in
 potentia, ad nihil ponuntur in materia, quia in materia nuda
 est potentia ad distinctionem partium quam acquirit introducta
 forma, quod est totum compositum ex diversis partibus. Prae-
 terea, in substantiis prius est intelligere essentias rerum quam
 esse earum, sicut recipiens prius est recepto naturaliter. Sed
 cum accidentia non habeant esse in suis essentis, sed per eo-
 rum receptionem in suis subjectis, in quibus habent esse; na-
 turaliter prius est esse quod habent in suis subjectis, quam
 essentia in consideratione sui generis. Impossibile est ergo
 dimensionum essentias intelligere in materia sine esse. Esse
 autem est primum omnium actuum. Ergo sine actu non est
 intelligere dimensiones in materia. Praeterea, aut fit unum
 ex dimensionibus interminatis et ex materia, aut non. Si fit
 unum per se, aut per accidens: non per se, quia tunc ex sub-
 jecto et accidente fieret unum per se, quod est contra Phi-
 losophum; si per accidens: cum omne per accidens ad per se
 habeat reduci, ergo oportet praexistere aliqua, ex quibus fiat
 unum per se. Hoc autem non est nisi compositum ex materia et
 forma substantiali. Necessario ergo praexistit forma substan-
 tialis quibuscunque dimensionibus. Si non fiat unum ex ma-
 teria et talibus dimensionibus, tunc esse accidentis connume-
 rabitur illi in quo est: quod est impossibile, nisi essent duo
 distincta ab invicem. Non ergo erunt dimensiones intermina-
 tae in materia ante formam substantialem. Praeterea, omne
 quod pertinet ad genus aliquod, aut est contentum in illo
 genere, ut est species vel genus vel individuum: vel est re-
 ducibile in illud genus, ut principium reducit ad genus
 principiat, et privato ad genus sui habitus, et pars ad genus
 sui totius. Praedictae autem dimensiones non sunt in genere
 quantitatis ut species vel individuum, cum omnis species sit
 denominata seu determinata respectu sui generis, et indivi-
 dum respectu speciei. Nec sunt in genere quantitatis, ut

principium est in genere sui principiati: principium enim dimensionum non est dimensio: prima enim dimensio est linea, cuius principium est punctus, qui omni dimensione caret, cum partem et partem non habeat. Cum ergo quaedam indivisibilia sint propria omnium dimensionum terminatarum, impossibile est ponere dimensiones interminatas in materia ut principia dimensionum terminatarum. Nec sunt reducibiles in genere quantitatis et privationis, quia privationes non habent essentias; illae autem dimensiones essentiae quaedam dicuntur. Non reducuntur etiam sicut partes ad totum: totum enim in quantitate habet partes determinatas per certas dimensiones, quantitates autem interminatae non sunt partes alicuius quantitatis terminatae. Praeterea, quod habet essentiam, defini potest, etsi esse non habeat, quia definitio indicat essentiam rei. Sed in accidentibus impossibile est definitionem assignare nisi per subjectum in quo esse habent, quia esse eorum non sequitur eorum essentias in proprio genere. Impossibile est ergo ponere essentias accidentium sine esse subjecti. Materia autem non habet esse sine forma. Impossibile est ergo ponere dimensiones in materia sine forma substantiali. Praeterea interminatum aufert certitudinem a quantitate: sed in qualibet re naturali est certitudo quantitatis posita, ultra quam et citra quam non extenditur consideratio physica secundum Philosophum 2 de Anima; unde nec de materia loquitur Philosophus, cum accipitur aliquid citra minimam carnem, ut patet 1 Physic., sed est tantum metaphysica, sive intelligibilis: quia cum de ea loquitur Philosophus, accipit eam in ordine ad formam physicam, quae est semper terminata. De dimensionibus ergo interminatis nihil ad naturalem spectat. Ipse tamen Commentator dicit Philosophum eas invenisse, non considerans, quod Philosophus extendit considerationem suam usque ad mathematicam tanquam ad terminum non sui generis: unde dimensio interminata excluditur a consideratione physica, et non includitur in ea. Praeterea, secundum Philosophum 1 Physic., si generatur homo, de necessitate generatur homo animal ex non hoc animali, et non ex non animali simpliciter; sed si generatur animal simpliciter, de necessitate generaretur ex non animali simpliciter. Et haec est sufficiens ratio ad ostendendum res a Deo esse productas ex nihilo, cum sit causa entis absolute, quod necessario erit ex non ente simpliciter. Hoc autem est nihil. Cum ergo dimensiones simpliciter sint dimensiones terminatae et perfectae, necessario erunt ex non dimensionibus simpliciter. Hoc autem est nihil ante dimensiones, et hoc ipse Commentator pro inconvenienti habet. Praeterea principium omnium dimensionum est punctus: unde in definitione lineae, quae est prima dimensio, punctus ponitur: linea enim

est cuius extrema sunt duo puncta, ut dicit Euclides. Impossibile est autem ponere rem aliquam, et non rei principium. Impossibile est igitur lineam sine puncto poni. Punctus autem sicut est principium lineae, sic est eius terminus, ut patet per definitionem lineae. Impossibile est ergo dimensionem interminatam ponere, cum nulla possit esse sine puncto. Punctus autem interminatus non est, cum ipse sit terminus aliarum dimensionum. Ergo interminatus non est nec esse potest. Praeterea, cum dimensio interminata fiat terminata per introductionem formae, ipsa autem dimensio interminata aut est in materia sicut in subjecto, aut in composito. Sed in materia non potest poni, cum nihil sit immediatus materiae quam forma substantialis: nec iterum foret haec dimensio mensura ipsius compositi, sed materiae tantum; quantitas enim solum est mensura sui subjecti; et hoc est falsum: nec erit in ipso composito, quia, cum terminatum et interminatum non variant essentiam dimensionum, idem accidens per essentiam mutaretur de subjecto in subjectum; aliud enim est ipsum compositum, et aliud materia nuda. Ex dictis ergo manifestum est, quod dimensiones interminatas in materia ponere, et praecedere omnem formam substantialem, est impossibile, nisi intellectu tantum, sicut ponunt mathematici. Sed de hoc posterius erit sermo.

CAPUT V.

Qualiter res naturales generantur generatione physica ex materia; de modo constitutionis rei.

Nunc vero restat modum constitutionis rei considerare. Ubi primo attendendum est, quod nihil est commune penitus formae et privationi nisi materia nuda: quia terminus actionis physicae, scilicet generatio, attingit nudam essentiam materiae, quia generatio non est motus, ut dictum est: alteratio enim non attingit nudam essentiam materiae, cum nullum accidens sit praeter suum subjectum. Subjectum autem alterationis est ens actu habens diversas partes, quia alteratio motus est qui requirit diversitatem partium. Nos enim loquimur de ea quae semper est abiciens aliquid a re alterata; talis enim alterationis terminus est generatio. Materiam autem habere diversas partes secundum se est impossibile, quia diversitas partium proprie est ipsius compositi constituti ex partibus diversis: unde materia sicut est in potentia ad formam, cuius acquisitio est generatio compositi ex partibus constituti, ita est in potentia ad diversitatem partium ipsius compositi ex ea generati: ex ma-

teria enim non generatur forma per se secundum Philosophum, quia illud ex quo generatur aliquid per se, est pars ejus. Materia autem non est pars formae, sed ipsius compositi: ideo compositum per se generatur, ut dicitur 7 Metaph. Compositum autem dicitur quod habet diversas partes. Unde diversitas partium non est materiae, nec formae, sed compositi. Compositum autem est nihil aliud esse, quam materiam transmutari ad formam, ad quam erat in potentia. Ex quo manifestum est, quod non aliunde materia est in potentia ad partes terminatas et distinctas, quam per id quod est in potentia ad formam, ejus inductio est generatio compositi ex partibus, ut dictum est. Et ex hoc ulterius manifestum est, quod nulla potentia ponenda est a parte materiae, nisi illa quae perficitur per formam substantialem; cum ad idem genus spectent materia et sua forma. Potentia autem in qua praedictae dimensiones ponuntur, non informatur forma substantiali, cum ad idem genus substantiae non pertineat. Impossibile est ergo ponere aliquam aliam potentiam ex parte materiae respectu formae substantialis, et respectu diversarum partium ipsius compositi generati per inductionem formae in materiam. Et ideo manifestus est error Averrois, qui posuit dimensiones interminatas in materia potentiam quandam ad dimensiones terminatas, aliam potentiam materiae respectu formae substantialis: et de hoc satis dictum est supra. Quando ergo aliqua forma substantialis perficitur actum, ita per illud idem esse permittitur ad distinctionem et terminationem partium totius compositi: in forma enim substantiali non solum est vis perfectiva materiae, sed etiam distinctiva totius per partes. Et huic necesse est respondere a parte materiae potentiam, quae respiciat ipsam perfectionem suam per formam, et etiam partium sequentium diversitatem. Ad ejus evidentiam considerandum est, quod si tota materia activorum et passivorum attenditur, invenitur ejus potentia in quadam latitudine esse, quae nihil aliud est quam amplitudo proportionis suae ad omnes formas quae in ea simul esse possunt: si enim possibile esset ipsam totam spoliari et denudari ab omni forma quam modo habet, certum est quod nihil diversitatis in ea reperiretur in aliqua partium distinctia, cum quantitas sine forma substantiali in materia esse non possit, ut dictum est; sed non propter hoc aliquid de potentia receptibilitatis formarum, quae de ea educi possunt, si simul de ea omnes formae quae modo in speciali inveniantur, per agens sufficiens educerentur. Si vero aliqua particularis materia, puta ignis vel aeris a sua forma spoliaretur, manifestum est in ipsa non relinqui tam amplam potentiam ad formas de ea educibiles, sicut invenitur in materia in sua universalitate:

unde, nec tot formae sensibiles, nec tanta quantitas de ea educerentur per quodcumque agens sola sua potentia transmutata ad actum. Patet ergo quod diversae formae simul in materia recipi possunt, ut sunt quatuor formae elementares, et diversae formae mixtorum ex amplitudine praexistenti in materia per aliquam quantitatem. Unde ad susceptionem diversarum formarum, si est necesse in materia praexistere aliquam diversitatem partium, et subsequi necesse est; et hoc ideo quia inductio diversarum formarum est generatio diversorum compositorum habentium partes et formas diversas, ut dictum est. Praecedit tamen in materia necessario proportio capacitatis, quam scire non possumus, nisi secundum quod videmus in ea simul plures formas, sicut in tota materia, vel unam tantum, sicut in materia alicujus particularis. Unde ponere qualemcumque partitionem a parte materiae, quasi necessariam ad inductionem diversarum formarum simul, et hanc praexistere, sequitur imaginationem quae ponit formas dari ab extra; quae cum in se diversitatem habeant per suam naturam, sequi videtur materiam diversitatem partium habere per naturam quantitatis ad suscipiendas diversas formas, cum in una parte recipi non possint. Sed cum formae non educantur ab extra, sed educantur de potentia materiae per ejus transmutationem, secundum Philosophum; materia autem est illud quod est in potentia ad formas substantiales quae sunt actus ejus: impossibile est quancumque partitionem autem formam substantialem in ea ponere, cum inductio formae sit generatio compositi; ejus solum est habere partes per se: materia autem et forma non habent partes per se, sed tantum per accidens: unde non dividitur nisi per accidens, ad divisionem scilicet totius. Ex quo manifestum est, quod priusquam compositum constitueretur, nulla partibilitas fuit ex parte materiae, cum non competat sibi nisi per accidens. Ex dictis ergo manifestum est, quod ratio Commentatoris non cogit ponere dimensiones interminatas necesse praecedere vel praesse in materia ad inductionem formarum substantialium diversarum, cum aliud possit esse ratio sufficiens, ut dictum est. Deceptus autem fuit ex consideratione materiae particularis, ad ejus similitudinem locutus est de tota materia. Videmus enim quod in materia in particulari habet reperiri duplex totum: scilicet totum essentiae, et totum quantitatis; et istud totum non debetur materiae nisi per accidens: et similiter est de forma rei particularis. Materia autem secundum totalitatem suae essentiae est in qualibet parte rei, non autem secundum totalitatem quantitatis: et similiter est de forma rei particularis: tota enim forma ignis secundum totalitatem suae essentiae est in qualibet parte suae

materiae, cum tota definitio ignis cuilibet parti ejus conveniat, non autem respiciendo totum quantitatis suae. Quantum autem ad formas particulares sciendum est, quod anima humana non est quanta secundum se nec secundum accidens. Per hunc ergo modum opinatus est Averroes ipsam materiam in sua universalitate secundum totum essentiae suae in qualibet re particulari esse, quae est pars totius ex materia generati. Et ideo posuit in ea quantitatem secundum se totam, ut per quantitatem diversificetur per accidens, et non esse tota totalitate quantitatis in qualibet re particulari, in qua tamen esset tota totalitate essentiae. Sed cum de materia non sit loquendum nisi in ordine ad formam suam secundum Philosophum, manifestum est non esse simile de forma in universali et in particulari: forma enim in universali est quiddam in materia vel de materiae potentia potest educi. Manifesta est ergo differentia, quia forma particularis tota secundum suam essentiam est in qualibet parte materiae, et materia similiter sub qualibet parte formae, ut dictum est: tota autem forma in universali etiam secundum totalitatem essentiae non est in qualibet parte materiae: alioquin in materia quae est sub forma aëris, esset essentia formae ignis, et omnium aliorum quae de materia generantur: unde necessario propter proportionem materiae ad formam tota materia in communi secundum totum essentiae suae non erit sub forma unius eorum quae generantur de materia. Haec ergo totalitas materiae est ipsa proportio capacitatis suae essentiae ad formam, et non aliqua diversitas introducta per ullam quantitatem. Sicut enim forma in quadam amplitudine essentiae consistit, in qua comprehenditur quidquid de materia educi potest; ita secundum propriam rationem materiae corruptibilem invenitur amplitudo capacitati ejus correspondens, ut dictum est: aliter enim ex materia in qualibet re particulari totum posset generari quod generatur ex tota materia: quod manifeste est, falsum esse, cum ex minimo quod potest esse in igne, nulla alia forma educi possit.

CAPUT VI.

Quid sunt dimensiones interminatae secundum veritatem.

Nunc ergo restat ostendere quomodo possibile sit dimensiones ponere, et quomodo possunt dici interminatae. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod quidam alio modo et rationalius eas posuerunt, quam Averrois. Dixerunt enim, quod forma secundi generis, scilicet corporis, adveniens materiae,

dat materiae quoddam esse incompletum ordinabile ad esse actu completum, quod advenit materiae per unam aliam formam perfectiorem. Per istam ergo formam incompletam dicunt in re esse tres dimensiones interminatas, quae postea terminantur ad adventum alterius formae perfectioris. Et pro tanto rationalius dixerunt isti quam Averrois; quia non posuerunt materiam nudam subiectum aliquarum dimensionum, sed compositum ex materia et forma substantiali. Sed isti iterum erraverunt: quia impossibile est ponere plures formas substantiales ordinabiles ad invicem in materia; quia materia est in potentia ad formas quae de ea educuntur. Si ergo essent plures formae substantiales ordinabiles ad invicem in materia, forma completior aut educeretur de potentia nuda materiae, aut de potentia totius compositi ex materia et tali forma incompleta. Sed non educitur de potentia totius compositi ex materia et tali forma; quia, sicut dictum est, terminus actionis physicae, scilicet generatio, attingit nudam essentiam materiae. Cum ergo forma, quae est terminus actionis, sit tantum illius subiecti quod attingitur per generationem simpliciter; impossibile est, quod talis forma completa educatur de potentia talis compositi ex materia et forma incompleta: unde necesse est ponentes plures formas ordinatas ad invicem destruire generationem simpliciter, et consequenter necesse est ponere omnes formas praeter unam, scilicet primam, esse accidentia. Si autem forma posterior educitur de potentia nuda materiae; omnis autem forma substantialis solum illam potentiam informat de qua educitur: ergo forma quam dicunt posteriorem, non erit perfectio talis compositi, sed materiae nudae tantummodo; et sic non erit ordo in formis substantialibus in eadem materia commanentibus, et hoc idem dicitur 7 Metaph. Sciendum est ergo, quod omnes dimensiones sunt accidentia, quae sequuntur materiam in ordine ad formam quam primo materia nata est induere; haec autem est forma corporis, quia totam materiam necesse est sub forma corporis contineri. Quod non est intelligendum quod sit una creata vel increata forma corporis, quia prima materia primo informetur: quia secundum Commentatorem materia prima primum habitatem habet ad formas elementares, et postea ad formas mixtorum. Ex quo manifestum est quod eadem est forma corporis simplicis cum forma elementi et mixti corporis: sed oportet primo quod per has formas constituatur genus corporis, deinde specierum perfecturarum. Materia namque in quidditate sua indivisibilis est penitus: ablata enim quantitate substantia manet indivisibilis, ut dicitur 1 Phys. Sed ex corporeitate quam sequuntur dimensiones quantitatis in actu, sequitur divisio materiae, per quam materia ponitur sub diversis sibus; et secundum hoc acquiruntur in ea diversae formae. Ordo eni

in situ corporum ostendit nobilitatem eorum; sicut ignis est supra aerem. Haec autem acquisitio formarum non ostendit ordinem temporis, sed naturae. Patet ergo quod dimensiones interminatae non trahunt originem a quocumque gradu quem facit forma ignis in igne, sed solum a primo. Nihilominus ignis secundum totum est subiectum dimensionum; secundum totum etiam mensuratur, et idem necessario invenitur in formis corporum mixtorum. Sed considerandum est quod in mixtis corporibus quaedam formae trahuntur de potentia materiae, quaedam non: ut hominum animae quae divisionem nullo modo patiuntur, cum non sint dimensionatae nec per se, nec per accidens. Formae enim quae nullo modo sunteductae de potentia materiae, nullo modo divisionem recipiunt etiam in materia existentes. Unde animae humanae aliter terminant ordinem materiae ad dimensiones, quam formae, quae de materia educuntur. Cum enim accidentia inseparabilia oriuntur a principis rei, in ipsa re constituta in actu erunt accidentia, ut in subiecto. Si autem forma rei siteducta de materia ipsa, quam sequuntur dimensiones; ipsa forma erit, non tamen semper, sed ut in pluribus, dimensionata et divisibilis per accidens; sicut est in lapide et in ligno, in quibus dimensiones redeunt semper super formam ipsarum rerum. Si vero forma non siteducta de materia, non redeunt dimensiones super formam; et ideo anima hominis omnino indivisibilis est. Patet ergo, quod anima hominis non terminat ordinem materiae ad formam in acquirendo dimensiones actu, nisi altero modo tantum, scilicet constituendo eas in actu; et hoc est in hoc homine, in quo sunt ut accidentia in subiecto. Ordo vero materiae in acquirendo dimensiones non redeunt super formam, solum terminatur per formam, quae de ea educitur. Nec propter hoc minus potest anima humana quam alia forma: quia hoc accidit illi formae in quantumeducta est de materia, quod non est de ratione formae ut forma est: aliter omnis forma educeretur de materia, quod est falsum. Quidquid enim potest forma imperfectior ut forma est, potest anima humana, et amplius. Quia ergo dimensionalitas formae potentiam sonat et non actum, possibile est ponere ordinem materiae ad talem formam terminari in potentia, et dimensiones in potentia sequi ordinem materiae ad ipsam formam. Et quia dimensio dicit formam propinquam actui, sive ipsi esse, quod per dimensionem acquiritur: ideo dimensiones sequuntur materiam in ordine ad formam, quae est in maxima propinquitate ad actum, qui est esse. Nec propter hoc erunt diversae essentiae dimensionum in eadem re: quia unum et idem potest simul esse in actu in uno ordine, et in potentia in alio ordinem.

CAPUT VII.

Quomodo dimensiones possunt dici interminatae, et quomodo eadem manent in generato et corrupto,

Ex his ergo facile est scire, quomodo dimensiones possunt dici interminatae. Sicut enim essentiae rerum terminantur per sua esse, quae sunt in rebus maxime formalia; antequam vero essentiae dicantur, non considerantur in actu, nec terminatae; sic dimensiones praedictae sunt interminatae antequam dicantur esse in actu: et licet actu sint in homine ut in subiecto, in quo habent rationem mensurandi, quod est eis proprium, cum esse actu habent; tamen habent esse in potentia, et non sunt actu in illo a quo dependent secundum originem, ut in subiecto, et ut redeunt super formas utroque modo antequam ipsum actu fuerit, nec mensurant illud, et quia nihil habet propriam mensuram, quod nondum habet propriam esse. Cum autem corrumpitur homo, succedit forma dans novum esse, et haec erat forma in ordine ad quam dimensiones ipsae sequebantur, ut ad materiam vel formam redeunt: unde eadem dimensiones sunt in vivo et in mortuo per essentiam, quia idem ordo manet in materia et ad eandem formam, sed secundum esse actu non manet nisi in quadam aequalitate; et idem est de aliis accidentibus quae sequuntur mixtionem elementorum, ut album et nigrum; quae non remanent in mortuo quoad ipsum esse actu nisi eorum similitudo quaedam. Essentiae vero huiusmodi accidentium non aliter auferuntur, nisi destructa origine ipsa cui immobiliter inhaerent, et contrahuntur ad esse actu cum materia, quam sequuntur in ordine praedicto ad formam unde homo est homo. Et ideo haec accidentia non migrant derelinquendo suum subiectum, quia quod a subiecto acceperunt, in subiecti corruptione corrumpitur; et ideo respectu esse actu posterioris subiecti a quo etiam ordinem seu originem habent, interminatae erant dimensiones in vivo, terminantur autem cum acquirunt esse actu talis subiecti, a quo pendunt secundum radicem, unde sunt propria eius mensura, etiam homine mortuo. Ex dictis ergo manifestum est necesse esse ponere essentiam alicuius formae in homine sine esse, per cuius naturam dictae dimensiones manent praedicto modo; de quo in sequentibus agetur. Manifestum est etiam, subiecto eodem manente, dimensiones eadem manere, et ipso corrupto redigi in materiam eandem, de qua iterum eadem numero educi non possunt per naturam: unde si per naturam eadem specieeductae essent, non forent

aptae trahi ad esse actu ejusdem anime; si tamen per miraculum educuntur eadem numero; nate erunt ad eundem actum anime recipi. Ex quo patet, quod idem homo numero resurgat et non alius, cum omnia sua principia redeant ad invicem eadem numero. Anima enim humana simpliciter eadem numero manet post mortem cum plenitudine virtutum suarum ad perfectiendum materiam in omni gradu eodem, quo prius eam perfectit. Etiam materia manet eadem numero, cum ipsa sit incorruptibilis. Easdem etiam dimensiones necesse est manere in materia, licet non nisi in potentia; aliter agens physicum easdem numero produceret, quod falsum est. Manent ergo in potentia materiae eadem numero respectu agentis divini, quia aliter non foret idem numero individuum, cum dimensiones agant ad individuationem, ut supra dictum est; et ideo ex eadem materia et eisdem dimensionibus cum anima eadem resurgat idem homo numero et non alius.

CAPUT VIII.

Quomodo in homine sunt plures formae secundum essentiam, sed una tantum secundum esse.

Nunc restat ostendere, quomodo possibile sit essentiam aliqujus formae ponere in homine, sic quod ad eam non sequatur esse substantiale: hoc enim supposuimus superius. Ad hujus ergo evidentiam considerandum est quod proprium est substantiae esse simpliciter: unde generatio, quo terminatur ad formam, sive esse substantiae, est generatio simpliciter; proprium vero per accidens est esse secundum quid; sicut generatio rei sub forma accidentali est generatio secundum quid; esse autem simpliciter est esse absolutum non dependens ab esse alterius sicut ei inherens, licet omnia dependant a Deo sicut a causa prima. Sic autem aliquid continet perfectam rationem essendi, secundum quod perfecta ratio essendi reperitur in eo, ut in substantia, ut dicitur 6 Metaph. Ad istud ergo esse absolutum participandum accedunt partes substantiae, per quod trahuntur ad genus sui totius. Esse vero accidentis dependens est per modum inherens: unde accidentia non trahuntur in genus illius cui inherent. Ex quo patet differentia inter esse partis aliqujus totius, et esse accidentis. Esse autem aliqujus totius absolutum, aliquando est proprius effectus Dei; scilicet quando tota res secundum omnia principia sua deducitur ex nihilo ad esse perfectum, sicut fuit in prima productione rerum, in qua causalitas Dei extendebatur usque ad ipsam materiam: quandoque vero esse est effectus creaturae,

scilicet quando agens physicum agit ex suppositione subjecti, non producens totum illud, quod pertinet ad esse rei, sed formam tantum, transmutando materiam ad talem vel talem formam: ad materiam enim actio creaturae non se extendit, ut supra dictum est: in hoc enim convenit agens divinum cum agente physico, quia utrumque ad esse absolutum terminat actionem suam, quod est ultimum transmutationis, sive simplicis emanationis; licet in simplici emanatione non sit prius et posterius, nisi secundum intellectum tantum. Cum ergo tale esse absolutum sit terminus utriusque actionis, ut dictum est: materia autem non est esse ut subjecti, quod est esse absolutum, nec etiam formae materialis, cum ipsa non sit habens esse, licet sit quo aliquid est; et neutra actio terminatur ad materiam, vel formam materialem, sed ad esse compositi, cujus est per se et absolute subsistere: de intellectu enim ejus est habere esse, quod non est de ratione et intellectu essentiae. In tali enim compositio necessario est compositio duplex, suppositi scilicet et essentiae, quae in re materiali differunt necessario; cum individuum in materialibus multa addat supra naturam speciei, quae essentiam tantum complectitur; et ideo alia est compositio totius rei et sui esse. In rebus vero immaterialibus creatis tantum altera compositio invenitur, rei scilicet et esse. In ipsis ergo non est essentia habens esse per aliquid quod realiter a se differt, cum idem sit essentia et res quae significatur ut habens esse; ideo essentia in eis est non tamquam principium tantum, quo aliquid dicitur esse, sed sicut habens esse absolutum non inherens. In substantiis vero compositis et materialibus, in quibus essentia realiter differt a supposito, essentia non habet esse nisi per suppositum, cujus est esse simpliciter et absolutum: unde essentia in eis non est ut habens esse, sed ut reductum ad esse per suppositum aliquid individuum, cujus est habere esse absolutum, ad quod terminatur actio producentis. Cum ergo forma materialis sit ad quam non sequitur aliquid suppositum vel individuum, cujus est habere esse absolutum ad quod terminatur actio producentis, ut dictum est; possibile erit ponere formam aliquam substantialem sine esse, sicut possibile est ponere id quod est principium sine relatione principii et sine principio. In immaterialibus vero non est hoc invenire, cum in eis non sit essentia quae non sit suppositum: unde posita essentia in eis necessario ponitur esse, quod est suppositum. Ad constitutionem autem suppositi materialis sive individui, quantitas terminata requiritur, quae ubicumque fuerit, tale individuum necessario erit, cum ipsa sit proprium et inseparabile signum individui, ut supra dictum est. Omnes autem formae elementares terminatas quantitates requirunt et diversas ab invicem:

unde ubicumque fuerit forma elementaris, necessario erit suppositum, cuius est habere esse completum et terminatam quantitatem: unde formae elementares non possunt in essentiali suis simul esse in una re: ut patet in lib. de Generat. et Corrupt. In mixtis autem rebus in quibus forma non educitur de materia quantitatis, non sequitur materiam in ordine ad talem formam; licet esse actu per eam in re habeat, ut dictum est cum quantitas semper respondeat illi principio, vel redeat in principium a quo originem sumpsit. Anima autem hominis non est quanta per se, nec per accidens, ut dictum est. Unde non repugnat in tali re ponere essentialiam formae a qua dependeat quantitas secundum originem, sive cum esse quod se habeat ad illam formam ut principium ad principiatum. Unde tali essentiali formae ratio actus non convenit, sicut nec materiae, cum esse sit actus communis et primus non solum materialium, sed etiam formarum; unde sine esse forma non dicitur actus. Solum enim natura substantialis esse, in substantiis impedit duas formas substantiales simul esse in eadem materia, quia esse substantiae est esse simpliciter: unde quod advenit tali esse est accidens necessario. Esse etiam substantiae habet se sicut unitas rei, quia unum et ens convertuntur: unde una res non potest habere duo esse substantialia, nisi amittat unitatem suam; unde in re composita ex substantia et accidente non est unitas nisi secundum quid. Nihil ergo contradictionis sustinebimus, si posuerimus in re aliquas formas, ad quas tamen non sequatur esse simpliciter. Solum enim per naturam ipsius esse simpliciter, quod in substantia reperitur, simpliciter impeditur pluralitas formarum substantialium eiusdem rei. Unde certum est, et a Philosopho ostensum, quod impossibile est plura esse substantialia in una re ponere sed solum forma ad quam esse sequitur, in re ipsa ponitur; aliae vero ei non connumerantur. Quomodo autem hoc intelligi possit, diligenter considerandum est in rerum progressu. Sciendum est igitur, quod materia est in potentia ad omnes formas, quae de ea educi possunt, unde quanto ad plures earum simul accedit, tanto plus pericitur ejus potentia. Et ideo in elementis materia est minime perfecta, quia solum una forma unius elementi pericitur simul: et si quandoque virtus formae alterius elementi sibi adsit, hoc non est per modum manentis, sed per modum alterantis, sicut patet quando calor ignis agit in aëre ad inductionem formae ignis. In corporibus vero mixtis magis perfecta est materia: ibi enim cum una forma mixti, quae dat esse, sunt omnes formae elementorum, virtute tamen et non in essentiali, quia quaelibet illarum requirit debitam quantitatem et terminatam, ut dictum est: unde cum unum sit suppositum mixti et esse unum, una est

forma ejus. Supposita autem mixta quaedam sunt animata, et praecipue homo cuius forma non producitur ex materia disposita per qualitatem mixti: unde conveniens est, ut in animatis sint essentialia aliquarum formarum sine esse: hoc enim est propinquissimum in quo animata possunt transcendere simpliciter mixta, scilicet perficiendo suam materiam in acquisitione plurium formarum simul, sicut videmus quod alio modo fit simplex ex mixtis, et alio modo ex materia prima, in qua nihil est de actu formae educendae antequam fiat, sicut in aëre non est aliquid de forma phialae, antequam phiala fiat; et in ligno similiter nihil est de lecto, antequam fiat: sic enim se habet materia prima ad ea quae ex ea fiunt, sicut se habet argentum ad statuum et lignum ad lectum, ut dicitur I Phys.

In mixto vero manent formae miscibilium secundum virtutem, secundum Philosophum. Virtus autem ad actum pertinet. Et ideo in mixto est unde agatur ad generationem alterius miscibilium, secundum quod virtus unius miscibilium vincit proportionem, in qua salvatur forma mixti; unde, corrupto mixto generatur corpus simplex: in hac namque transmutatione fit spoliatio omnium quae erant ipsius mixti, nec aliquid manet nisi materia prima tantum. Sed in generatione ipsius mixti non fit spoliatio simplicium usque ad materiam primam: aliter virtutes simplicium non manerent in mixto. Nunc autem manent. Unde non est corruptio simpliciter, per quam fit generatio compositi cum elementa non corrumpantur penitus, sicut dicitur I Meteor., quia eorum est mixtio, quorum est separatio: non enim miscentur nisi ea quae apta sunt per se existere: idem enim est de materia disposita per aliquam alterationem factam circa ipsam, et mixto: tunc enim virtus formae inducenda est in ea potentia. Unde potentia sua non est jam adeo remota ab actu formae, sicut ante alterationem: ante namque alterationem ipsa materia erat in potentia remota ab actu; inchoata vero alteratione, incipit potentia appropinquare actui, sicut vincente altero miscibilium appropinquatur ad actum simplicis elementi. Cum vero alteratio magis ac magis intenditur, plus et plus ad actum acceditur: unde completa alteratione, materia est in actu constituta. Alia igitur est potentia materiae nudaë et nondum alteratae a potentia mixti, in qua est virtus alterativa: unde haec est propinquior actui, quam illa et perfectior, quia magis procedit ad suum actum. Si igitur foret in mixto forma elementi simplicis, quod est impossibile, sicut supra ostensum est statim unico virtutis suae actu foret per se existens: esse enim est propinquissimum essentiali formae, licet ab invicem differant in materialibus. Ideo licet propinquior sit potentia materiae in qua sunt miscibilia in mixto actui suo quam potentia ma-

teriae nudae, in qua nihil de actu est; alteratione tamen indiget ad hoc quod haec potentia actui suo conjungatur: unde miscibilia in mixto tunc sunt in potentia maxime appropinquata actui, quando mixtum est in optima sui proportione; sed tunc maxime elongata sunt ab actu suo in tali genere; non tamen tantum distant, sicut potentia materiae nudae. Potentia autem in qua sunt partes organicae ad esse per se, est in majori propinquitate ad esse seorsum, quam sit potentia ipsis mixti: quia, sicut dicitur 7 Metaph., partes animatorum sunt in potentia propinqua actui eorum proprio per separationem a toto: quod verum est de toto etiam in imperfectissimo gradu suo manente. Unde quandoque virtus alterativa quae in rebus invenitur animatis inquantum mixtae sunt ex quatuor primis corporibus, minime agit; scilicet quando elementa maxime ducta sunt ad medium; ut est in homine, in quo inter omnia mixta maxima est elongatio a contrarietate: adhuc tamen partes animatorum sunt in potentia maxime propinqua actui, alteratione tamen maxime distante a suo termino. Ex quo concluditur, quod haec propinquitas non est per dispositionem materiae per alterationem aliquam, cujus terminus sit inductio novae formae per essentiam. Essentia vero formae noviter induci non potest nisi recedente alteratione, cujus terminus est productio formae de novo. Constat tamen, quod in parte a toto separata sit forma substantialis. Unde, cum impossibile sit duo esse substantialia in eadem re ponere, ut supra dictum est; nec per aliquam alterationem praecedentem pars est in potentia in suo toto maxime propinqua actui nec forma de novo inducitur nisi per alterationem: unde nec caelum, quod est agens universale respectu istorum inferiorum, nec aliquid particularium agentium agere nisi alteret: et ideo caelum est primum alterans secundum Philosophum. Necessario ergo sequi videtur aliquam formam in parte rei sine esse ponere, et ideo partem esse in potentia maxime propinqua actui. Esse enim est maxime propinquum formae, ut dictum est, quia non requiritur ad hoc quod esse substantiae propriae sequatur formam, nisi quod res per se ponatur, quod unica actione fieri potest.

CAPUT IX

Quomodo impossibile est duo esse substantialia simpliciter esse in eodem composito materiali

Ex dictis ergo manifestum est triplicem esse potentiae differentiam, in qua aliquid dicitur esse: scilicet potentia materiae in qua nihil est de illo quod de potentia educitur. Secunda est potentia mixti, vel materiae quae est in alteratione, in qua licet non sit essentia formae inducendae, est tamen virtus. Tertia est potentia totius, per quam partes sunt in toto, quae est maxime actui proprio propinqua secundum Philosophum: unde in eis nihil est sicut agens ad proprium actum, sicut est quando harmonia est perfecta, necessario erunt essentiae formarum prope sua esse. Hoc autem facilius scietur, si gradus et ordo rerum naturalium diligenter discutatur. Sciendum igitur, quod communissimas unitatis modus reperitur in rebus materialibus, quae est unitas continuitatis: in omnibus enim rebus materialibus haec unitas reperitur. Primum namque accidens, quod sequitur materiam, est quantitas. Super hanc unitatem reperitur in diversis rebus unitas suae propriae formae: in quibusdam quidem magis, in quibusdam vero minus perfecte, ut habetur 4 Metaph. Unitas continuitatis in re reperta maxime potentialis invenitur, quia omne continuum est unum actu et multiplex in potentia: sicut partes lineae non sunt aliqua duo actu, sed unum: ipsa vero linea est duo in potentia, et facta divisione fit duo actu, sola enim divisio continui facit esse actu: unde in divisione lineae non inducitur aliquid novi in ipsis divisis: sed eadem essentia lineae quae prius erat actu una, et multiplex in potentia, et potentia ducta est in actu. Est tamen hic similitudo quorundam corruptionis: quia actus prior qui erat totius, ablati est, et potentia ducta est ad actum posteriorem per divisionem solam. Consimile penitus reperitur in lapide, et in igne, et in omnibus corruptibilibus et generabilibus inanimatis: forma enim totius in eis, per quam habent quandam unitatem suae naturae super unitatem quantitatis, secundum totam rationem formae est in qualibet partem rerum. Unde facta divisione manet essentia ejusdem formae in partibus ab invicem divisis: quaelibet enim pars ignis est ignis, et quaelibet pars lapidis est lapis. Est tamen in istis divisionibus quaedam similitudo corruptionis et generationis; non quod novae formae per divisionem talium inducantur; sed quia esse, sive actus prior auferitur per divisionem ipsam, et potentia ducitur ad actum proprium. Super

haec autem sunt animata imperfecta, ut plantae, et quaedam animalia imperfecta, ut sunt animalia anulosa; et in ipsis idem invenitur: quia cum avellitur ramus ab arbore, non advenit nova essentia vegetabilis, sed eadem essentia vegetabilis, quae una erat in arbore tota, etiam actu uno, simul erat multiplex in potentia, et per divisionem novum esse perdit, et actus alius et alius secutus est. Similiter est in animalibus anulosis una anima in actu et unum esse, sed multiplex in potentia accidentali: unde facta divisione, remoto actu priori et unitate actus, sunt multa in actu. Et sic facile est videre quando essentia alicujus formae est in potentia accidentali ad esse, quod tamen nondum habet: et hoc totum contingit propter imperfectionem talium formarum; quia, cum sint sub uno actu, simul sunt sub potentia multiplici respectu esse diversorum, quae acquiruntur eis sine aliqua corruptione in suis essentiis, sed sola divisione. In animalibus vero perfectis, praecipue in homine, forma quae est una in actu, non est multiplex in potentia, ut per divisionem constituitur eadem essentia formae sub diversis esse, et sub diversis actibus; cum anima hominis non dividatur nec per se nec per accidens, ut dictum est. Unde, cum in homine sit unitas ejusdem continuitatis, quae manifestior est in carne sua et ossibus quam in aliis membris quae sibi conjunguntur per naturam ipsam continuitatis, necessario erit alia essentia formae in eo, quae per solam divisionem a toto habeat esse actu. Hoc etiam in omnibus continuis invenitur. Haec enim est forma respectu cujus quantitas sequitur materiam super ipsam formam rediens, ut supra dictum est: semper namque forma a qua quantitas secundum originem pendet, est divisibilis per accidens. Et hoc satis manifestum est: quia cum partes hominis sint in eadem propinquitate ad per se esse, sicut partes aliarum rerum perfectarum, sicut dictum est; ideo nulla nova essentia formae introducit per divisionem, sed esse novum acquiritur. Forma vero hominis dividi non potest, ut in ea acquirantur multa nova et diversa esse. Ideo necessaria erit in eo alia essentia formae suae ab essentia formae, quae per divisionem solam esse acquirit. Sed in hoc est differentia inter animalia perfecta et imperfecta: quia in imperfectis non erat illa essentia sine esse simpliciter, licet esset sine esse acquisito per divisionem; in perfectis vero erat sine esse simpliciter sibi debito, quia duo esse substantialia impossibile est simul ponere in una re, ut dictum est. Est etiam alia differentia a parte divisionis ipsius: quia cum dividi non possit nisi quod est actu quantum; quantitas autem in homine non est actu per formam respectu cujus sequatur materiam ut rediens super formam, sed per solam animam, a qua est totus actus qui est in homine: in igne vero et lapide quantitas est actu per formam, quam

ipsa quantitas sequitur in materia: inde est, quod divisio in homine est in quantitate actu per animam; sed quod efficitur per divisionem in esse acquisito, non est aliquid de essentia animae secundum aliquid esse, sed est aliquid de essentia formae originalis ipsius quantitatis, cui datur esse actu per divisionem. In rebus vero imperfectis divisio est in quanto actu, et hoc per formam ad quam sequitur ipsa quantitas, cui per divisionem aufertur unum esse actu prus habitum, et acquiruntur duo vel plura, sub quibus essentia ipsa dividitur, quae prius erat una, secundum quam erat unum esse in re ante divisionem. Licet autem esset unum esse ante divisionem in rebus, nihilominus illa eadem essentia formae erat in potentia actuali ad multa esse simul cum uno esse actu quod habebat, et ejus subjectum erat materia una et eadem numero. Et tamen constat quod alium respectum habet materia ad esse actu primum et alios respectus ad esse actu per divisionem acquisita, quibus tamen respectibus materiae respondebat eadem essentia formae ante ipsa esse actu. Licet enim potentia materiae non differat ab eis secundum quod potentia dicit principium receptivum; differt tamen secundum quod dicit relationem materiae ad formam. Et isto modo possunt esse in materia multi respectus, essentia tamen ejus manente una. Sicut ergo materia per unum respectum tantum habet unum esse, cum aliis tamen respectibus multa habet, essentiae etiam formae sine esse per divisionem acquisito respondente; ita sub forma perfecta, cujusmodi est anima humana, reperitur in materia hominis unum esse tantum, licet in eadem materia sint essentiae aliarum formarum sine esse, quod tamen eis sola divisione acquiritur. Hujus exemplum est reperiri in linea et puncto. Protracta enim una linea, punctus qui eam terminat, esse habet secundum quod illam lineam terminat: in ipso autem puncto sunt multi et diversi respectus, secundum quod potest esse terminus multarum linearum: sed per unum respectum impossibile est nisi unam lineam recipi in puncto. Unde per alias lineas quae in eo recipiuntur simul cum linea prima protracta non acquiritur puncto aliquid esse in earum terminatione, nec illis non protractis minus haberet punctus esse in terminatione primae lineae. Per quem modum de materia et ejus respectibus imaginari possumus, cum ipsa in sui natura indivisibilis, et sine partibus sit omnino, ut punctus, licet in multis sint dissimilia. Secundum ergo unum respectum ejus esse, quasi per unam lineam, impossibile est sibi inesse nisi unam formam quae det sibi esse. Unde, cum praedicata substantiae accipiuntur quasi in uno respectu, veluti cum ex una parte linea accipitur in puncto; impossibile est ut praedicata contenta in linea praedicamentali substantiae per diversas for-

mas prædicentur de Socrate, sed per unam et eandem. Secundum alios vero respectus quos habet de propria ad esse per se, sine tamen esse, poterit essentias formarum recipere. Mirabilis enim est potentia materiae, nec sciri potest nisi cognoscendo ea quae in ea esse habent, scilicet conferendo de formis quae in ea esse habent, ut patet 1 Physic.

OPUSCULUM XI.

DE NATURA GENERIS

(EDIT. ROM. XLII)

CAPUT I.

De ente.

Quoniam omnis creatura Generis limitibus continetur, ne circa naturas rerum aliquis error causetur, de Genere et difficultatibus ipsum contingentibus aliquid, quo facilius scientiarum a se invicem diversarum ortus processusque discerni possit, dicere intendimus, initium sumentes ab illo ad quod intellectum omnem incipere et resolvere necesse est. Hoc autem dicimus ens: ens namque est objectum intellectus primum; cum nihil sciri possit nisi secundum quod est ens actu, ut dicitur 9 Metaph. Unde nec oppositum eius intelligere potest intellectus, non ens scilicet, nisi fingendo ipsum ens aliquo modo: quod cum intellectus apprehendere nititur, efficitur ens rationis. De quo modo entis dicitur in 5 Metaph., quod ens uno modo dicitur, de quo possunt propositiones formari etiam si essentiam non habeat. Ens igitur est cujus actus est esse, sicut viventis vivere. Sic enim se habent haec tria ad invicem, ens, esse, et essentia, sicut vivens, vita, et vivere. Vita enim est principium quo vivens vivit: et essentia est principium, quo ens est; nisi quod vita et vivere significant actum, vita in abstracto, vivere vero in concreto, sicut cursus et currere, unde non est vita sine vivere: essentia tamen non semper constituit esse. In ente autem sic accepto duplex analogia reperitur. Dicitur enim ens de Deo et de creatura; sed per prius de Deo, et per posterius de creatura: licet verius sit Deum esse super omne ens, quam esse ens; sicut dicit Dionysius et Damascenus. Propter hanc tamen analogiam non sequitur ens esse prius utroque, Deo scilicet et creatura, sicut prius est ens substantia et accidente, de quibus analogice dicitur. Ad cujus evidentiam est sciendum, quod quando tota ratio analogi reperitur in altero de quibus praedicatur, sicut tota ratio entis absolute in Deo reperitur; tunc non erit praedicatum prius utroque, cum praedicatum non excedat subjectum. Cum vero tota ratio praedicati in neutro subjectorum est, necesse erit praedicatum prius esse et communius utroque subjecto; sicut tota ratio entis non salvatur in substantia quae est genus primum, cum ens divinum non includat. Ens autem genus esse non potest, ut docetur in 2 Metaph. et in 3. Nulla enim dif-